

Wilhelm Lauremberg Matthias Walther

Theses De Venae Sectione In Pleuritide. Ad Disputationem Anniversariam propositae: De quibus, Deo Iuvante

Rostochii: Myliandrus, 1607


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729695409>

Druck Freier  Zugang



RU mel 1607

Wilhelm Laurinberg, Preis:
Matthies Walther, Resp.



THESES

XXIX

DE VENÆ
SECTIONE
IN PLEVRITIDE.

Ad Disputationem Anniversariam
propositæ:

De quibus, Deo Juvante,

PRÆSIDE
WILHELMO LAVRENBORGIO
Philosophia & Medicina Doctore & Professore.

RESPONDEBIT
MATTHIAS Walscher,
Hamburgensis.

Die 19. Decemb: horis antemeridianis.



ROSTOCHII.
Ex. Typographia Stephani Mylandri, Anno 1607.



DECANO

Seniori Cæterisq; amplissimæ fa-
cultatis Medicæ in Inclita Aca-
demia Rostochiensi, Docto-
ribus Professores ce-
leberrimis,

*Dominis Præceptoribus & fautoribus
suis summa observantia
colendis,*

dedicat

Respondens.



T H E S I S I.



LEVRITIS, quum sit membrana costas succingentis, aut musculorum intercostalium inflammatio, primam curandi indicationem habet, aversionem, sive ablationem humoris, à quo phlegmone fovetur, & augetur, Gal. 13. Meth. cap. 6. Artis med. 95.

II. Perficitur hæc indicatio pluribus præsidij Medicis de quibus omnibus hoc tempore agere, instituti nostri non est: De ea tantum agemus, quæ per venæ sectionem instituitur.

III. Etsi autem universi corporis evacuationem etiam per purgationem in pleuritide instituendam esse Hippocrates doceat, 2. de vict. ac tex. 10. & II. Et 4. de vect. ac tex. 73. jubeatq; dolore ad superiores partes ascendente, venam cubiti internam aperiendam, dolore autem descendente ad hypochondria, medicamentam esse exhibendum: Galenus tamen, vehementiam febris, quæ huic morbo copulatur, & diversam hominum circa purgationes naturam considerans, statuit, Pleuriticos, atqueq; dolor vel ascendat, vel descendat, longè opportunius, tutiusq; venæ sectione, quam medicamento vacuandos esse: eamq; sententiam Hippocrati consentientem esse docet, qui 4. acut. tex. 19. asserat, Maxime hepatis dolores, & splenis gravitates, & supra septum transversum dolores, & morborum collectiones solvi non posse, si quis prius medicamentis purgare aggrediatur; cum venæ sectio in talibus principalis sit, & præferenda.

IV. Et quidem illustriores Medici in hanc Galeni sententiam iverunt, nimirum, in pleuritidis principio, in qua principes sanguinis missionis scopi conveniunt, curacionem exordiendam esse à venæ sectione; sed quæ venæ, & cujus lateris sit aperienda, dici vix potest, inter doctos quanta contentione certatur; adeo, ut si quis auctoritatem, & numerum disceptantium spectet, vix sciat, penes quos victoriæ consistat.

V. Neq; hæc nova hæresis est, sed Græcis, Arabibus, Latinis, veteribus, & junioribus disputata.

VI. Etenim Arabes, & eorum Sectatores, in Pleuritidis principio, dum humor adhuc est in motu, sive quamdiu sit fluxio, ad revellendum in contrarium sui motus humorem, primum venam in Malleolo lateris directi, deinde basilicam sive communem lateris oppositi; & tandem internam lateris dolentis, ad derivationem, & evacuationem, aperiendam esse docent, Avicenna lib. 3. Fen. 10. tractatu 5. cap. 1.

VII. Hanc sententiam etiam inter grecos, Archigenes & Aretaeus, amplexi sunt: & inter Latinos ceteros, Dionisius Medicus Lusitanus, Hieremias Threverus, Dominicus à Melguita, Andreas Thurinus, aliq̃, celebres Medici inter quos nonnulli omisi ad Malteolos vena, à contrarij lateris vena interna missionē sanguinis auffsicantur. Rationes & argumenta horum, quibus suam sententiā confirmare conantur ad disputationem rejicimus.

VIII. Vesalius in Epistola de secunda vena in Pleuritide, eumq̃, secutus Thaddeus Danus contendunt, in octo costarum inferiorum pleuritide, semper aperiendum esse basilicam dextri brachij, etiamsi dextrum latus non doleat, quod in hac parte sit truncus venae sine pari; Ideoq̃, in pleuritide sinistra, fieri revulsionem de fonte; in dextra, non tantum revulsionem, sed etiam derivationem & evacuationem.

IX. Hanc sententiam, praeterquam quod Hollerius Comment in cap. de pleur. & cum eo Amatus Lusitanus Centuria 5. curatione 52. impugnent, valvulas aliquas in orificio vene azygos singentes, quibus sanguis, lateri sinistro impa-ctus, resluere prohibeatur, Ipse quoq̃, Vesalius in nobili suo opere de humani corporis fabrica lib. 3. cap. 5. & 7. Et lib. 5. cap. 5. Et in Epistola, qua modum propinandi decoctum Chinae tradit, pag. 169. eam revocavit, nihil interesse docens, in quavis pleuritide, dextri ne, an sinistri cubiti vena secetur.

X. Galenus ex Hippocratis mente, in pleuritide incipienti, corpore existente pleno, scapis sanguinis missionis praesentibus, venam cubiti internam secandam esse censet, recto à latere dolente tramite; 2. de vict. ac. tex. 73. & lib. de venae sect. cap. 14. & 16.

XI. Hanc Galeni sententiam, ut veriozem, magisq̃, tutam, & nos approbamus, eamq̃, firmis rationibus, Medicorum auctoritate praecellentium testimonijs, atq̃, ipsa rei evidentia confirmabimus.

XII. Constat in omni phlegmone, sive incipiens ea sit sive antiqua, intentionem Medici esse, ut fluentem humorem, aut fluere paratum sistat, & eam humoris partem, quae jam fluxit, evacuet. Gal. de const. art. 17. 2. de vict. ac. text. 3.

XIII. Fluenti humori, & incipienti phlegmoni, debetur Revulsio, ἐν ἰσχυροῖς, qua fluens humor in contrarium sui motus avertitur, ne in partes quas petit, vehementiore impetu irruat. Humoris qui in patiente particula fixus est, convenit Evacuatio, ἐν ἐλαφιοῖς: Vtriq̃, derivatio debetur, πρὸς ἄλλο μέρος, qua is in partem jam lapsus evellitur & mobilis adhuc in vicinum latus deducitur Gal. 5. Meth. cap. 6. & 5. Meth. cap. 3. 5. aph. sect. 5. 2. ad Glauco. cap. 2.

Per

XIV. Per contrarium autem eum Gal. intelligimus, à superioribus, ad inferiora; à posterioribus ad anteriora, à dextris, ad sinistra: ab internis ad externa humores ducendos esse, idq; per communes venas, & secundum partis male affectæ rectitudinem, qua membrorum societas servatur, faciendum esse. cum Hipp. statuimus. Hip. 6. Epid. sect. 2. text. 12. Gal. lib. de Revulsione. Et 3. de Crisib. cap. 3.

XV. Per eandem itaq; venæ sectionem, & Revulsionem, & derivationem. & humoris in parte inflammata contenti evacuationem compleri posse, vel hinc fit manifestum.

XVI. Cum inter Revulsiones ea sit connumeranda, quæ ab interiorib. trahit, ad exteriora; Gal. lib. de Revuls. consequitur venæ cubiti sectionem esse Revulsivam; cum, ex utrovis latere fiat, à costis semper trahat ad cubitum: Quin, re bene considerata, deprehenditur ea quoq; ab inferioribus trahere ad superiora, vel è contrario; Flexura namq; cubiti, ubi jecoraria vena ut plurimum aperitur, superior est membrana, costas succingente, si manus sursum elevetur, vel totum brachium recta intendatur, ut in venæ sectione vulgo fieri consuevit. Sicuti & Celsus lib. 8. cap. 2. brachium supra costas esse affirmavit; vel inferior, si manus deorsum ad genua inclinet. Eodem modo à dextro ad sinistrum vel à sinistro ad dextrum, juxta varios positus & considerationes flexuræ cubiti, evacuatione expleri potest.

XVII. Cum itaq; unâ & eadem ejusdem lateris venæ sectione, triplex a-
versionis, sive retractionis genus compleatur, nullum relinquitur dubium, quin hæc phlebotomia Revulsivæ dici mereatur, quam ex eodem latere & per directum faciendum esse, docet Gal. de sang. mis. cap. 15.

XVIII. Derivativam esse, ex adversæ partis consensu, constat.

XIX. Per eandem quoq; humorem in phlegmone contentum evacuari, ex Gal. 2. de vict. liquet qui jecoriam humerali comparans, ait: Nos celeriter, & magis, quam alias particulas, evacuare festinamus, eam, quæ patitur inflammationem, & præcipue in morbis acutis, quod interior cubiti vena facit: Et paulo post, in eodem Conto; Sufficiens iudicium, quod sanguis ex particula, inflammationem patiente, transsumptus sit, est coloris permutatio. Et lib. 5. aph. 68. Non solum studet Hipp. ubi opus est evacuare, sed & cum revulsione; Revulsio autem ad contrarium fit, secundum longitudinem quidem, sursum, & deorsum; secundum latitudinem, hinc, atq; hinc; hoc est, à dextera & sinistra, secundum profunditatem vero, ante & retro. Nunc igitur in posterioris partis capituli doloribus, evacuatio cum revulsione fiet.

XX. Ex quibus manifestum est, unam eandemq; venæ sectionem vim habere, Revulsivæ quidem, quatenus ab interioribus ad exteriora, nimirum à membrana succingente, ad cubitum, atq; à dextro ad sinistrum, vel è contrario, & aliqua variatione etiam ab inferioribus trahit ad superiora: Derivativæ, quia à latere ad brachium trahit, non valde longinquum: Et demum ex ipso loco affecto, si coloris mutatio spectetur, quod optimum esse, in omni magna phlegmone, quæ est prope sectam venam, inquit Gal lib. de venæ sect.

XXI. Cum itaq; frustra fiat per plura, quod fieri potest per pauciora, consequitur, utriusq; lateris phlebotomiam in pleuritide esse supervacaneam, atq; ob id prætermittendam.

XXII. Præterea, cum acuti morbi generosa & celerrima auxilia requirant, & tardare in ijs sit malum, quando internorum membrorum inflammationes citissime hominem rapere soleant, rectius in brachio lateris dolentis, quam in altero, quod ipsi contrarium est, vena secatur, ne pro citissimo, & promptissimo auxilio, tardum & ignavum substituatur, 4. Aph. 10.

XXIII. Quin & tutum minus est, non solum in latere opposito, verum etiam in maxime distante loco, phlebotomiam exercere; præterquam enim, quod pleuritis hoc modo non curatur, etiam humores noxi, vel in parte inflammata relinquantur, vel benigni sanguinis exuperantia primum sublata, ipsi ex affecta sede rapti, cum salubri, utriusq; permiscentur; vel quod frequentissime accidit, sani lateris pleuritidem invehunt Fernel. 2. Meth. cap. 5.

XXIV. Observatur quoq; hac ratione, dum phlebotomia in eodem latere celebratur, illud $\kappa\epsilon\lambda\lambda\iota$ $\iota\zeta\iota\nu$, quod Hip. in morbis & natura uotibus studiose semper spectandum, & observandum esse præcipit, 1. aph. 5. 2. aph. 20. 6. Aph. 37. 6. Epid. sect. 2. Et Galenus ex Hippocrate deducit, omnes sanguinis eruptiones à natura $\kappa\epsilon\lambda\lambda\iota$ $\iota\zeta\iota\nu$ factas maximam ærotis utilitatem adferre; eas autem, quæ contra sunt, non modo non juvare, sed, dissolvendo vires plurimum nocere; Quia itaq; naturæ minister Medicus est, quam in suis evacuationibus recte operantem perpetuo imitari debet, 1. Epid. sect. 2. tex. 2. 3. de Cris. cap. 3. de venæ sect. 14. 15. & 16. consequitur necessario, in Pleuritide venæ sectionem $\kappa\epsilon\lambda\lambda\iota$ $\iota\zeta\iota\nu$ ab ipso esse instituendam: siquidem per viciniore, & quæ magis è directo sunt, patientibus membris optima, facillimaq; sit evacuatio: De Const. art. cap. 17. 2. ad Glauconem.

XXV. Et hinc est quod Hip. & Gal. passim inculcât, non solum in dextra pleuritide, sed jecoris etiam inflammatione, interiorem dextri cubiti venam secandam esse, quæ, si forte non compareat, mediam aperiendam, & si neq; hæc sese

profe-

proferat, ad humerariam confugiendum potius, quàm ad interiorè diverſi brachij, cum tamen omnes venæ ſecori ſocietate jungantur: tantam ſc. vim revulſioni, quæ è directo lateri affecto fit, attribuentes

XXVI. Ab hac itaq; rectitudine, cum vena, quæ ex oppoſito lateri pleuritidem patienti jacer, quàm longiſſime abſit, ſiquidem è dextro latere nulla vena in ſiniſtrum, aut è contra, recto ductu procedunt, ſequitur non oppoſiti, ſed dolentis lateris venam, è directo ſitam, aperiendam eſſe

XXVII. Aſſentiuntur huic ſententia Nobiliſſimi quiq; Medicorum Principes, quorum omnium teſtimonia adferre, theſum anguſtia non patitur: ſufficiat è multis unam vel alteram

XXIX. Hipp. 6. Epid. ſect. 6. T. 5. generaliter docet proximum ventrem incidere. Et primo de Morbis textu 44. Huic (de Pleuritico loquens) venam ſecare conducet, in manu ſplenitidem appellatam aut hepatitisdem, juxta utram ſane fuerit morbus; atq; ſic dolor mollior fit, & lateris & aliarum partium. 2. de vict aut tex. 10. Cum dolor aſcendit ad claviculam, aut moleſta ſit vel brachio, vel mammae, vel partibus ſepto tranſverſo ſuperioribus gravitas, internam cubiti venam ſecare expedit. Et hunc locum explicans 4. acut. tex. 73. Si dolor ſurſum penetraverit, vel ad claviculam, vel mammam vel brachium, venam brachij internam ſecare oportet, qua dolor afficit parte.

XXIX. Galenus hanc Hippocrates ſententiam exponens, inquit. Adjicit Hippocrates, venam ſecundam eſſe, recto à latere dolente tramite 4. acut. 73. De curandi ratione per venæ ſect. cap. 16. Quin pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris, adhibita fuit ſanguinis miſſio, clariſſimam ſepe utilitatem attulit: Quæ vero ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certe poſt temporis intervallum.

XXX. Sic Cornelius Celfus lib. 2. cap. 10. Aëtius lib. 3. cap. 12. Oribasius, alijq; innumeri græci & latini & inter arabes Iſaac teſtante Constantino Caſſianenſi medico lib. 3. viatici cap. 12. in pleuritide venam, quæ ex directo loci dolentis eſt, ſecandam docent.

XXXI. Idem omnium propemodum præſtantium experientia confirmat. ut videre licet apud Amatam, Argenterium, Donatum, Ferneliuſium, Foreſtum Lubertum, Maſariam, Piſonem, Riolanum, Rhondoletiuſium, Valeſium, alioſq; innumeros præſtantes celeberrimos; ſicuti & nos Antecęſorum noſtrorum præcepta & rei evidentiam ſecuti in pleuritidis principio, ſemper ex affecto latere, ſanguinem detraximus, maxima cum ægotantium utilitate.

XXXII. Quin & ignaram vulgus, longa & felici experientia edoctrum, ad dolentis lateris phlebotomiam, ut ad ancoram ſactam, & auxilium præſentiſſimum, confugere aſſuevit.

Neg.

XXXIII. Neq; tamen perpetuum præceptum esse volumus, ut in omni pleurite semper venam ejusdem lateris internam secare, neq; unquam vel juxta millesios, vel in latere opposito demere oporteat: Siquidem in pleurite exigua, ac miti vel flatulenta, corpore à redundantibus humoribus vacuo, antecedens causa, phlegmonem aut dolorem pleuriticum excitans, per halitum insensibiliter potest evacuari; ut faciendum monet Hip. 2. de vict. acut. Gal. Const. artis cap. 17. 13. Meth. 5. de inæquali intemperie.

XXXIV. Sic quoq; ubi pleuritis originem duxit à suppressis mensibus, ab hæmorrhoidibus, aut à puerperarum lochijs retentis, aut ex alia quapiam per partes inferiores vacuatione suppressa, vel quando conjunctum habet ventris fluorem vel quando alicujus visceris phlegmonem insequitur: in insigni pleuridine; in materia virulenta, & maligna. prudentis Medici judicio relinquatur pro urgentis mali necessitate hanc vel illam, hujus, vel istius partis venam aperire, vel sectione prorsus intermittere, Mercurius. de morb. mul. lib. 4. cap. 11. Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 26.

XXXV. Quin & veteres ex opposito interdum brachio sanguinis missionem adhibuisse, ex eo constat, quod Galen. cap. 16. de ven. sect. scribat, obscuram utilitatem, vel post temporis intervallum, aliquam fuisse subsecutam, dubio procul, ut Aëtius lib. 8. cap. 68. monet quod non ad revellendum & evacuandum simul, sed ad solam revulsionem persiciendam, eam adhibuerint.

XXXVI. Aretæus eodem die quo pleuritis invasit venæ sectionem suadet, nisi à cibi, potusq; repletionem ea sit excitata, tunc enim differendum, & unius diei incedium præscribendum esse, ne in vasa inanita crudus humor rapiatur.

XXXVII. Cum autem morbus hic aliquando suas manifestas habeat exacerbationes, expectanda erit eius remissio, Nam, ut prudentissimus Celsus monet, lib. 2. cap. 10. quando vehementissima febris urget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominem jugulare est; quando vero non speratur remissio, quovis tempore convenientissimo vena incidenda: præceptis enim occasio 1. Aph. 1.

XXXVIII. Terminum evacuandi sanguinis statuit Hippocrates, coloris mutationem, asserens, Neq; ut copiose sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eousq; auferendus, donec rubidior multo, vel pro puro, rubidog; lividus fluxerit; 2. de vict. acut. tex. 10.

XXXIX. Non tamen omni ex parte coloris hæc mutatio expectanda est, sed est, antequam fiat, cessare conveniat, idq; duplici nomine, ob infirmas videlicet vires, aut phlegmones malignitatem. Gal. de curandi ratio per sang. mis. cap. 14.

XL. Rectissime Aretæus suadet, sectionem, si necesse sit, particulam esse; scilicet enim, est, ut Celsus consulit, primo levare ægrum, deinde evacuare, quam simul omni vi effusa, fortassis ipsum præcipitare.

proferat, ad humerariam confugiendum potius, quàm ad int
cbij, cum tamen omnes venæ secori societate jungantur: ta
siovi, quæ è directo lateri affecto fit, attribuentes

XXVI. Ab hac itaq; rectitudine, cum venæ, quæ ex op
dem patienti jacet, quàm longissime absit, siquidem è dex
in sinistrum, aut è contra, recto ductu procedunt, sequitur
lentis lateris venam, è directo sitam, aperiendam esse

XXVII. Assentiuntur huic sententiæ Nobilissimi quig
pes, quorum omnium testimonia adferre, thesium angust
ciat è multis unum vel alterum

XXIX. Hipp. 6. Epid. sect. 6. T. 5. generaliter doce
incidere. Et primo de Morbis textu 44. Huic (de Pleuri
secare conducet, in manu splenitidem appellatam aut hepa
sane fuerit morbus; atq; sic dolor mollior fit, & lateris
2. de vict aut tox. 10. Cum dolor adscendit ad clavicul
brachio, vel mamma, vel partibus septo transverso superi
nam cubiti venam secare expedit. Et hunc locum expli
Si dolor sursum penetraverit, vel ad claviculam, vel ma
venam brachij internam secare oportet, qua dolor afficit

XXIX. Galenus hanc Hippocrates sententiam expon
Hippocrates, venam secundam esse, recto à latere dolente
De curandi ratione per venæ sect. cap. 16. Quin pleuri
borantis lateris, adhibita fuit sanguinis missio, clarissim
tulit: Quæ vero ex brachio opposito, aut omnino obscura
poris intervallum.

XXX. Sic Cornelius Celsus lib. 2 cap. 10. Aëtius lib
aliq; innumeri græci & latini & inter arabes Isaac testa
sianensi medico lib. 3. viatici cap. 12 in pleuritide vena
dolentis est, secandam docent.

XXXI. Idem omnium propemodum practificantium e
ut videre licet apud Amatium, Argenterium, Donatum, Fe
bertum, Masariam, Pisonem, Riolanum, Rhondoletium, Va
ros practicos celeberrimos; sicuti & nos Antecessorum nost
evidentiam secuti in pleuritidis principio, semper ex ad
d etraximus, maxima cum egrotantium utilitate.

XXXII. Quin & ignarum vulgus, longa & fa
atum, ad dolentis lateris phlebotomiam, ut ad ancoram sa
sensissimum, confugere assuevit.

